

24
1775
21

DISSERTATIO ACADEMICA DE INTERPRETATIONE ET EX- TENSIONE

L. 2. C. DE RESCIND. VENDIT.

QVAM

PRAESIDE

IOACHIMO GEORGIO DARIES, D.

POTENTISS. BORVSS. REGIS CONSILIARIO INTIMO, ACADEMIAE VIA-
DRINAE DIRECTORE, FACVLTATIS IVRIDICAE ORDINARIO, SOCIE-
TATIS SCIENTIARVM ET ARTIVM, QVAE IN VIADRINA

FLORET, PRAESIDE,

ETC. ETC.

IN AVDITORIO IVRIDICO

D. MAII MDCCCLXXV.

PVBLINE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES FRIDERICVS KVBSCH

VRATISLAVIENSIS.



TRAIECTI AD VIADRVM,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI.

DISSESTITATIO AGEDIMUS

INTERPRETATIONE ET EX

EGYPTI

EGYPTI

EGYPTI

EGYPTI

EGYPTI

EGYPTI

EGYPTI

VIRIS
ILLVSTRBVS, GENEROSISSIMIS,
NOBILISSIMIS,
DIRECTORIBVS
CONSVLI PERPETVO
ET
SENATORIBVS
REGIAE SEDIS ATQVE METROPOLEOS
VRATISLAVIAE,
MAECENATIBVS, PATRONIS
ATQVE
FAVTORIBVS

S A C R V M

A 2

LITERA
PRIVATE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF DRESDEN
KONIGLICHE
DIRIGEJORIBAS
GOMSCHI PERLETAO
ET
SEKATORIBAS
REGIE SIEBEN ALDVE MELDUNGEN
ARITHMETICAS
MAGNETIAS PATRONIS
LATTORIBAS
SACRA



§. L.

Instituti ratio.

Sempronius necessitate coactus agrum emit a Mevio
pro MDCC imperialibus; post aliquod tempo-
ris spatium tandem videt verum huius agri va-
lorem tempore contractus fuisse tantum M. im-
periales, nec tamen venditorem in contrahendo hoc ne-
gotio dolose egisse. Nunc quaestio oritur: Utrum Sem-
pronius ex l. 2. C. de resc. Vend. ob hanc laesionem rescis-
sionem contractus iure meritoque petere possit.

Sed eximius hic, ut in plurimis iuris capitibus ad
est dissensus Doctorum et de extensione cit. l. 2. et de
computatione laesione ultra dimidium. Mihi itaque sequen-
tes tractandae erunt theses:

A 3

I. Be-



-
- I. Beneficium l. 2. C. de resc. Vend. et emtori competit
 - II. Beneficium l. 2. et in aliis Contractibus locum habet.
 - III. Laesio ultra dimidium ita computanda est ut proportio Arithmeticæ adsit.

Quum autem doctissimi viri, Duarenus, Cuiacius Thomasius, Huberus et ill. ab Ickstadt hanc controversiam iam præcipue agitaverint, nec tamen auctoritas in iure quid efficiat, primum dissentientium argumenta infirmare et tunc nostram sententiam corroborare studebimus.

- I. Thesis, ad quam accedo est: *Beneficium l. 2. C. de Resc. Vend. etiam emtori competit.*

§. II.

Primum argumentum contra thesin nostram.

Cuiacius * et cum eo plures alii Doctores argumentum suum contra thesin nostram ex natura rescripti desunt et ita argumentantur: Exceptio a regula juris civilis generali ultra casus exceptos extendenda non est. Atque rescriptum in l. 2. C. de resc. Vend. est exceptio a regula juris civilis generali. Ergo Rescriptum in l. 2. ultra casum exceptum extendendum non est. Ideoque nec emtori beneficium in l. 2. contentum competit.

§. III.

Respondetur ad hoc argumentum.

Argumentandi rationem quidem legitimam esse concedimus; negamus autem rescriptum l. 2. exceptionem a regula

* Lib. XVI. Obs. 18.

regula iuris civilis generali continere. Quidquid enim dicant, ante Diocletiani et Maximiani tempora in emtione venditione circumvenire permisum fuisse, nec ob laesio- nem enormissimam rescissionem contractus locum habuisse; haec consuetudo tamen contra rationem iuris introducta est, et talis, prout l. 14. 15. D. de LL. dicunt, non est ad consequentias producenda, ideoque nec regulam iuris ci- vilis generalem constituit. Hanc etiam antiquam fraudan- di licentiam Imp. Dioclet, et Max. rescriptis suis oppri- mere conati sunt. Quod autem cit. l. 2. et l. 8. eod. tit. solius venditoris mentio fit, ratio est quod Imperatores tantum de venditore interrogati fuerint. Per id vero quod uni contrahentium beneficium conceditur in rescri- pto principis, alteri contrahentium in casu simili id non de- negatur, sed, si aequitas evidens poscit, subveniendum est et iudicis est ad similia procedere atque ita ius dicere quod expresse docent l. 10. 12. 18. D. de LL.

§. IV.

Differentium alterum argumentum.

Alterum argumentum contra thesin nostram ex oc- casione, qua saepius venditor ad vendendum pretio mino- re coactus est, defumunt, et collatis l. 2. 12. 16. C. de res. Vend. l. 1. C. de praed. decur. l. 2. C. sine cens. vel reliq. l. 1. D. si in fraud. patr. l. 1. D. de min. sequenti mo- do ratiocinantur; Si solius Venditor favorem d. l. 2. me- retur, soli venditori etiam beneficium l. 2. competit. At- qui solus Venditor favorem l. 2. meretur, Ergo soli ven- ditori etiam beneficium l. 2. competit.

§. V.

§. V.

R e s p o n s i o .

Antecedens quidem concedimus, consequens autem merito negamus. Quicquid enim dicant, Venditorum solum ideo favorem l. 2. mereri, quum plerumque necessitas rei familiaris compellat ipsum vendere pretio minore, emtor contra saepius affectione opportunitatis aut fraudandi causa ad emtionem accedat et tali cupiditate commotus immodicum pretium ultro proiiciat; hoc tamen nos non movet ut eorum sententiae accedamus. Saepe quoque emtor ad emendum pretio maiore coactus est si minor rerum copia adest, aut necessitas rei familiaris comparationem huius rei desiderat. Imo quem venditor ut dominus rei venditae maiorem notitiam habeat quam emtor, praesumtio est magis pro emtore, illum laedi posse quam venditorem. l. 15. S. 1. D. de contrah. Emt. l. 15. C. de refc. Vend. Quae ipsa praesumtio secundum prudentiam legislatoriam maiorem omnino habet vim quam occasionis comparatio, qua contrahentes forte ad negotium impulsii fuerunt.

§. VI.

Tertium argumentum contra thesin nostram.

Thomasius * ex eo, quod Veteres ICti non videbunt, laesionem in emtione venditione rescissionem contractus postulare, et ex dissensu DD. circa rationem genuinam huius l. 2. omnibus quidem ad aequitatem provocata.

*) *Inst. iurispr. div. Lib. 2. cap. 2. de rer. pretiis §. 54. seq. et Diff. de aequitate cerebr. L 2. C. de refc. Vend.*

vocantibus sed in quo consistat illa aequitas non facile consentientibus, colligit, aequitatem ob quam Dioclet. et Maxim. rescriptum in l. 2. dederunt mere cerebrinam esse. Sequenti autem modo argumentatur: Si in Emt. Vend. circumvenire licet, aequitas ob quam rescissio Emt. Vend. in l. 2. conceditur, cerebrina est. Atqui in Emt. Vend. circumvenire licet, (l. 16. §. 4. D. de minor.) Ergo etc. Si lex 2. ex aequitate cerebrina orta est. l. 2. non est ad consequentias trahenda. Atqui l. 2. ex aequitate cerebrina orta est, Ergo l. 2. non est ad consequentias trahenda.

S. VII.

Respondeatur.

Permittas autem, magne Thomasi, ut quaedam contra tuum argumentum moneamus. Concedimus quidem veteres ICTOS, maxime alias aequitatis studiosos, hanc aequitatem non vidisse; sed, ut ipse fateris, casus quem hic tractamus rarissimus est et illis forsan nunquam obtigit ut despicer potuerint quid in eo iustum aut iniustum sit. Eorum igitur silentium hic nihil operatur. Ex eo autem quod Paulus et Ulpianus dixerunt in Emt. Vend. circumvenire licet, minime sequitur omnem fraudem et circumventionem in hoc contractu licitam esse, sed id modo, quod hic minima non curet Praetor, nec ob quamcunque laesio- nem Emt. Vend. rescindi possit. Nec ex eo, quod dicis, quemcunque posse rem suam tanti aestimare quanti ipsi placet, et volenti non fieri iniuriam, id evincitur quod docere cupis. Liceat enim cuicunque rem suam tanti aestimare quan-

B

ti ipsi



ti ipsi placet quoties nemo exinde laeditur; si vero cum alius contrahit, iustitia non concedit ut pro lubitu rem suam aestimet; sed tunc verus rei valor considerandus, ne alter, imperitus forsan irreparabili damno afficiatur. Regula ideo quoque: Volenti non fit iniuria, valde limitanda est, quia alias cuicunque licet imperitos fraudulenter laedere, et re vera is, qui damnum futurum *ignorat*, illud velle nequit. Non igitur probasti, magne Vir, aequitatem ob quam l. 2. data est, mere cerebrinam esse; ideoque argumentum tuum nos non movet ut beneficium l. 2. emtori denegare velimus.

§. VIII.

Argumentum ad firmandam nostram thesin.

Infirmatis nunc dissentientium argumentis nostrum est ea proferre, quibus nostra sententia nititur. Contratus Emt. Vend. permutationem ea ratione determinat, qua aequabilis reciprocae praestationis et eadem est ratio in emtore quae in venditore ut laesio avertatur. Quum vero Imperatores in l. 2. ut et in l. 8. C. de resc. vend. expressis verbis (*humanum esse*), originem huius constitutio-
nis ab humanitate seu aequitate arcesserint; *has leges etiam merito ita interpretari debemus, ut id quod legislatores intenderunt, i. e. aequitas obtineatur; alias enim dato in casu a vero legislatorum sensu aberramus et falsa est nostra interpretatio. Si autem l. 2. ita interpretamur ut beneficium in ea venditori concessum non competit emtori, haec interpretatio non humanitati solum inconveniens erit sed etiam aperte omnibus iuris principiis repugnabit

* Conf. *Accursius* in *Glossa* ad d. l. 2. h. t. verb. *iudicis*.

bit quae volunt ut nemo laedatur et suum cuique tribuatur. Hic enim venditor qui maiorem rei suae notitiam habere et optime sibi de damno vitando prospicere valet, si culpa sua erraverit ob laesionem enormem rescindere contractum potest; emtor contra, qui difficilius verum rei emenda valorem intelligit ob laesionem enormem rescindere nequit. Quum vero sic venditor cum damno emtoris locupletior fieret, hoc autem absurdum et iustitiae inconveniens esset (quod numquam praesumendum,) l. 2. sic omnino interpretanda est, ut beneficium in ea concessum etiam emtori competit. Quod etiam optime ostendit Gerh. Noodt in Comment. ad ff. Lib. 18. Tit. 5. de resc. Vend. pag. 322.

II. Thesis: *Beneficium l. 2. et in aliis contractibus locum habet.*

§. IX.

Limitatio quaedam.

Si vero dicimus l. 2. et in aliis contractibus locum habere, ante omnia, ne de lana caprina disceptemus, notandum est, nos non de omnibus indistincte loqui contractibus, sed de iis solum, qui bona fidei sunt, et qui certam mutuam et aequipollentem praestationem desiderant. Proinde quovis ad contractus doctrina nostra applicari nequit, maxime quando in illis opera locari non solita versatur, quae aestimationem certam non recipit.

COROLLEx iis, quae in §. diximus, patet nos transactione laeso non concedere beneficium l. 2. Qui enim naturam transactionis recte perspectam habet, intelligit transactionem esse speciem pacis bellici. (Vid. Ill. Praefidis Diff. de differ. pact. volunt. atque



meru extorti.) et de re incerta fieri, summam denique iuris cautionem esse ne lites restaurentur. Hancce sententiam nostram legibus convenire, perspicue docent textus l. 11. 19. 20. C. de Transact. l. 2. C. quando prov. non est nec l. 1. C. de plus petit. l. 17. C. de usfr. l. 2. 5. §. 2. et l. 9. §. 1. D. de iureur. l. 78. D. ad S. C. Trebell. l. 15. §. 3. D. de Re. Iud. l. 65. §. 1. D. de cond. ind. l. 51. D. de pecul. l. 21. D. de dolo. Quicquid etiam Andr. Fachinaeus Controv. Iur. Lib. 1. Cap. 26. in contrarium adducat.

§. X.

Huberi argumentum generale contra thesin nostram.

Ea argumenta, quae supra ab adversariis ex eo, quod in c. l. 2. solius venditoris mentio fiat, prolata sunt hic, etiam contra thesin nostram repetuntur; sed quum supra iam eorum fundamentum infirmaverimus, denuo ea recensere et impugnare supervacaneum esset. Nunc igitur ea solum nobis videnda erunt quae nova contra hancce nostram thesin movent dubia. Huberus* dicit: Non solum hic in eodem contractu a venditore ad emtorem facis consequentiam, sed etiam ab alio ad alios contractus committis transitum, quum tamen in aliis contractibus non sit eadem ratio quae in Emt. Venditione.

§. XI.

Response.

Concedimus quidem Hubero, longe aliam rem esse in eodem contractu ab uno contrahente ad alterum consequentiam facere, et ab uno contractu ad alios transitum committere; sed ex §. 9. patebit, nos beneficium l. 2. so-

lum

* Prael. ad Pand. Lib. 18. T. 5. no. 3.

lum ad eos contractus extendere in quibus eadem est ratio
quae in Emt. Vend. i. e. qui bonae fidei et certam, mutu-
am et aequipollentem praestationem desiderant, et sic ob-
jectionem suam sententia nostrae non repugnare nisi pro-
baverit in omnibus aliis contrâbus diversam esse ratio-
nem, quam quae in Emione Venditione. Evoluturi situr
sumus specialia argumenta quae adversarii contra thesin no-
stram in medium proferunt.

§. XII.

Primum argumentum speciale ex natura permutationis.

Huberus, et qui ipsum sequuntur dicunt: De per-
mutatione non est proditum hoc remedium l. 2. nec opus
est illuc extendamus quia contractus ille rarius est, non ha-
bens pretium sed utrumque rem incertae aestimationis, et
quia satis ei consultum est iure proprio per poenitentiae fa-
cilitatem, quae datur quamdiu contractus non est utrumque
perfectus.

§. XIII.

Respondeatur.

Contractum permutationis nostris temporibus ra-
riorem esse nemo negabit; sed exinde, ut et ex eo, quod
hoc remedium l. 2. non expresse de permutatione prodi-
tum sit, id minime sequitur quod inde probare cupit *Hu-
berus*. Nam sibi ipsi contradicit. De emtore laeso quo-
que in l. 2. nihil expresse constitutum, et usus huius l. 2.
etiam in Emt. Vend. infrequens est, nec tamen Emotori
ideo denegat beneficium l. 2. Quod autem dicit, in per-



mutatione utrumque rem incertae aestimationis esse; hoc quidem verum est tempore contractus, ubi non expresse respicitur determinatum verum pretium rerum permutandarum, (quippe quae determinatio veri pretii rerum permutandarum duplex, ideoque difficilior esset.) nec tamen ideo licet unipermutantium alterum enormiter laedere; praesumitur enim iam ex eo, quod hic contractus sit bonae fidei, aequalem valorem habere res inter se permundandas. Porro etiam Huberus: Laeso consultum esse, ait, iure proprio per poenitentiae facultatem, quae datur quamdiu contractus non est utrumque perfectus. Concedo; sed num eo etiam laeso *satis* consultum est? Quid si enim utrumque contractus perfectus sit et nunc appareat alterum contrahentium enormiter laesum esse, quomodo damnum suum resarcire potest? Poenitentiae facultatem non amplius habet, contractus enim utrumque perfectus est; num ne ideo autem laesionem sibi habere debet? Hoc neque permitit aequitas et bona fides quae huic negotio originem dedit, neque iustitia, quae suum cuique semper tribuit. Quum igitur hoc naturae permutationis repugnet, nec aliud remedium laesionem hanc reparandi in promptu sit, merito et LL. convenienter eiusmodi laeso concedendum est beneficium d. l. 2. quam vel Impp. expresse ad aequitatem in contrahendo servandam promulgarunt.

§. XIV.

Alterum argumentum speciale ex natura Locationis conductionis.

*Decius** et *Huberus* iterum argumentati sunt, conductori non esse succurrentum, quia constitutio 1. 2. ad eam

* In Consil. 583. col. ult.




eam speciem adplicari non potest in qua contractus est iam per se rescissus et finitus, et quoniam circumventio in hoc contractu non est tanti praeiudicij quum ad usum modo et mercedem usui respondentem, non ut Emt. Venditio ad proprietatem adeoque rem totam pertineat.

§. XV.

R e s p o n s i o .

Sed negamus circumventionem in contractu Locationis Conduktionis non esse tanti praeiudicij ut in Emptione Venditione. Etsi enim hic non proprietas atque tota res, sed solus rei usus in alterum ad certum tempus transferatur et elapso hoc tempore contractus per se rescindatur et suciatur; nihil minus tamen alter horum contrahentium durante contractu enormem inde laesionem percipere potest, quae vel variis in casibus maior esse potest quam in Emt. Venditione. V. c. Si Titius a Mevio agrum conduxerit in VI annos, et dederit ipsi pro anno CC. aureos quum verum et iustum annum locarium modo C. aureorum fuerit; finito VI. annorum spatio Titius sentit damnum DC. aureorum, et maior eius est laesio, quam si rem CCC. aureos valentem DC. aureis emerit. Quid autem prodest Titio, contractum Locationis conduktionis nunc per se rescindi si damnum exinde perpetuum nullo modo reparatur? Manifestum igitur est, ea que Huberus hic profert veritatem nostrae sententiae non infringere; nobis itaque licet ea allegare que nostram thesin corroborant. Locatio conductio proxima est emptioni venditioni iisdemque iuris regulis consistit l. 2. D. Loc. cond. Locator venditoris conductor vero emitoris loco est, et res locata mercis, locarium pretii vicem



vicem subit. Quum autem in LL. locatio conducio et
emt. venditio similes dicantur contractus et eamdem habe-
ant rationem ut sint bonae fidei, et aequalem desiderent
praestationem; non sine fundamento etiam locatione con-
ductione laeso tribuimus beneficium d. l. 2: summa enim
aequitas pugnat pro eo, qui hoc modo laesus est, ut et-
iam adiuvetur ex iis LL. quibus Emt. Venditionem con-
trahenti graviter decepto ac laeso succurritur, l. 36. D. de
Verb. Obl. l. 5. C. de dolo, quae sententia nostra corrobo-
ratur quoque ex l. 25. §. 5. D. loc. cond.

§. XVI.

Generale argumentum ad firmandam nostram thesin.

Argumentum generale in quo nostram fundamus
thesin, sequens est: Ubi cumque eadem l. 2. ratio est, ibi
eadem l. 2. dispositio obtainere debet. At in omnibus con-
tractibus b. f. certam mutuam et aequipollentem praestatione-
m desiderantibus eadem l. 2. ratio est. Ergo et in iis
l. 2. dispositio obtainere debet. Maiorem propositionem
nemo certe, qui vel primis tantum iuris principiis instru-
ctus est, inficias ibit. Nobis igitur solum incumbit verita-
tem minoris eruere et ad oculos ostendere. Emtio Vend.
est contraetus nominatus bilateralis, ergo bonae fidei; Emt.
Vend. est species permutationis quae certam mutuam et
aequipollentem praestationem desiderat. Quum vero ra-
tio l. 2. universalis sit, ut aequitas obtineatur, nec ulli con-
trahentium licet alterum laedere, aut eius damno locu-
pletior fieri, quod iam per se omnibus iustitiae principiis
repugnat, praesertim autem in iis negotiis tolerari nequit,
ubi singulariter quivis obligatus est omnia bona fide et se-
cun-

cundum intentionem contrahentium (quae numquam LL.
repugnans praesumi potest,) agendi: L. 2. generalis est.
Quando vero Imperatores hanc suam legalem voluntatem
in casu specifico venditionis proposuerint, id ex accidenti
factum est, et eo ipso indicarunt, hanc l. 2. in omnibus
iis negotiis applicandam esse, quae emtioni vend. sunt si-
milia. Perfecta autem adest similitudo inter Emt. Vend.
et eos contractus de quibus loquimur; sunt enim nimirum
b. f. certae mutuae et aequipollentes praestationis ut Emt.
Venditio, et in utrisque eodem ex fundamento aequitatis
ratio habenda est. Iure meritoque igitur in his contra*cti*-
bus etiam, si laesio enormis adsit, l. 2. C. de refc. vend.
applicatur et verum usum habet.

COROLL. Ex eo, quod aequipollentem praestationem desideramus
in iis contractibus de quibus loquimur, sponte sua adpareret, nos
verum contractum emphyteuticum huc non referre, quia em-
phyteuta pensionem annuum fructibus haud respondentem pro u-
su certi fundi in recognitionem modo dominii praefat, ideoque
eam praefare tenerur et res emphyteutica ex parte perierit.
Quodsi igitur emphyteuta canonem fructibus percipiendis aequi-
valentem praefare deberet domino, instar conductoris esset et
beneficium d. l. 2. ipsi quoque competeteret.

III. Thesis: *Laesio ultra dimidium in Emt. Vend. ita com-
putanda est ut proportio Arithmetica adsit.*

XVII.

Sensus quaestioris.

De computatione huius laesioris ultra dimidium om-
nes fere DD. qui beneficium l. 2. C. de refc. Vend. emtori
concedunt in eo convenient ut dicant: Venditoremenor-

C

miter



miter laesum esse si ne quidem dimidiā partē veri valo-
ris rei venditae acceperit; Emtorem autem tunc enormi-
ter laesum esse, si plus quam duplū veri valoris rei emtæ
dederit venditori. Nos quidem communi DD. sententiae
de Venditore laeso accedimus; sed de emtore laeso longe
alia nostra est sententia: dicimus enim, emtorem iam tum
enormiter laesum esse, si praeter verum rei præsum et di-
midia eius aliquid adhuc dedit venditori. Hanc igitur
nostram thesin, infirmatis antea dissentientium argumentis,
corroborare studebimus.

§. XVIII.

Duarenii argumentum.

Duarenus eo, qui sequitur, modo contra nos argu-
mentatur: Diocletiani rescriptum l. 2. ita ad emtorem pro-
ducere necesse est ut inter emtorem et venditorem aequa-
litas et proportio servetur ideoque generaliter constituendū
est, ei qui ita deceptus est, ut ne dimidiū quidem
acceperit eius quod dedit, subveniendum esse. Quam e-
nim venditori non succurratur, qui dimidiā veri valoris
pro re sua vendita accepit, nec emtori succurrendū est,
qui duplū veri valoris pro re emta dedit. Si cui autem
hoc iniquum et absurdum videatur, is cogitet, gravitatem
damni in quaue specie ex eo quod mutuo datur et accipi-
tur aestimandam esse. Ex quo fit interdum ut facilius ei
succurratur cui minus quam ei cui plus abest. Exempli lo-
co Titius rem valentem X. vendidit IV. Sempronius rem
valentem XX. vendidit X. Hisuccurritur Titio cuius dam-
num est VI. tantum, et non Sempronio cuius damnum est X.

§. XIX.

§. XIX.

Responso.

Lubenter concedimus, necesse esse ut in hac computatione inter emtorem et venditorem aequalitas et proportio servetur; sed valde miramur, quomodo adversarii ex eodem fundamento, quo nostram firmamus sententiam, suam corroborare possunt. Quae enim, magne Duarene, est aequalitas sive porportio in tua computandi ratione? Venditor, e. g. vendit rem X. valentem pro IV. et rescifionem contractus petere potest; Emotor contra qui rem X. valentem emit, non potest rescindere contractum, nisi plus quam XX. dederit. Venditor hic solum in quinque casibus laedi potest impune, si accipit IX. VIII. VII. VI. V. Emotor autem in decem si dederit venditori XI. XII. etc. usque ad XX. sic igitur luce meridiana clarius est, sumمام hic adesse inaequalitatem. Omnibus enim in casibus Venditor ad alterum tantum laedere potest emtorem; hic autem venditorem solum in dimidiam partem veri pretii. Quum vero res quae in contractum Emt. Vend. deducitur solum sit obiectum erroris et Venditor et Emotor aequa facile labi possint, nulla ratio est, cur leges errori vendoris plus faverent, ultra dimidium iusti pretii laesionem non ferentes, quam errori emtoris, quem laesioni in altero tanto pluribus casibus sine spe resarcitionis serendae subiicerent? Ad firmandam tuam sententiam adhuc dicis: Gravitatem damni in quaque specie ex eo quod mutuo datur et accipitur aestimandam esse. Id quidem in permutatione, ubi uterque rem suam aestimare debet antequam unus eorum dicere possit, in tantum laesus sum; minime autem



in Emt. Vend. ubi semper pecuniae pretium certum est, locum habet. Sed quum ad hoc respondere infra §. 21. melior erit occasio, nunc hoc mittimus.

Quoad conclusionem quam inde inserit: facilius interdum eis succurri cui minus, quam cui plus abest; concedimus, si de diversis contractibus; si autem eundem contractum Emptionis Vend. supponis, in quo venditor a vero pretio aberrat VI. emtor vero X. aliud nobis dicendum erit. Longius enim a vero pretio aberrat qui dat XX. pro re X. valente, quam qui accipit IV. pro re X. valente. Illius distantia a vero pretio est X. huius tantum VI. Quum autem eandem aleam habuerint contrahentes verum attingendi pretium, eadem, si non potior, est ratio ut succurratur emtori qui in X. laesus est, quam venditori, qui laesione VI. sentit.

§. XX.

Cuiacii argumentum.

Cuiacius aliud profert argumentum, quod, ut opinor, ex eodem errore ortum est ex quo Duarenii; argumentum ab eo prolatum est quod sequitur: Qua proportione Emotor plus quam dimidiam partem pecuniae suae ex re emta salvum habet, ea hoc casu non habet locum; At proportione inter X. et XVI. emtor plus quam dimidium habet salvum pecuniae suae ex re emta; Illa igitur non habet locum ut detur rescissio.

§. XXI.


Respondeatur.

Ante omnia liceat nobis ostendere quomodo *Cuiacius* et *Duarenus* in hanc computandi rationem inciderint.
Quo

Quo perspecto manifestum erit, erroneam esse eorum sententiam. Considerant emtionem venditionem tanquam permutationem, ubi uterque rem praestat et recipit cuius pretium non determinatum est, et ubi uterque duplicem subit aleam sive periculum laesioris, 1) dum aberrat in vero pretio rei sua, 2) dum aberrat a vero pretio rei alterius permutantis. Spectant igitur pecuniam, quam emtor dat, tanquam rem incerti pretii quam unus permutantium alteri contrahenti praestat. His itaque suppositis, eo, qui sequitur, modo ratiocinantur: Si Venditori non succurratur ex l. 2. qui pro re sua ab emtore accepit rem (scil. pecuniam) quae dimidia pars est rei venditae; nec emtori succurrentum est, qui pro re sua, quam dedit venditori, rem accepit quae dimidia pars est eius rei quam dedit venditori. Concludendi modus non est illegitimus: omnis igitur eorum error ex falsa hypothesi oritur, quod emtionem vend. nimis permutationi aequiparent et pecuniam quam emtor praestat tanquam rem incertii pretii considerent. Sed aliter se res habet in permutatione, aliter in emt. venditione. In illa uterque contrahens, ut supra ostendimus, duplex periculum subit; in hac autem uterque non nisi simplici laesioris periculo expositus est, ut nempe rei venditae iustum statuatur pretium, et tota disparitas in eo posita est, quod hic in pretio a venditore recipiendo, (pecunia scil.) nullum in aestimatione periculum versetur. Pecunia enim qua emitur valorem habet publica auctoritate determinatum, et in eius aestimatione nemo laedi potest; ideoque pecunia, quam emtor praestat venditori, non est consideranda tanquam res incerti pretii. Si igitur pecunia emtoris tanquam res unius permutantis et incerti pretii considerari nequit, res

C 3

ven-



vendoris et pecunia emtoris comparari nequeunt; nec inde emtoris laesio ex pecunia quam dedit venditori dimittenda est, quia vendoris laesio ex re vendita aestimatur. Hoc faciunt dissentientes. Quum itaque ex falsa hypothesis argumenta sua legitime deducant, sole clarius est falsam esse eorum consequentiam. Si autem Duarenus ad firmandam suam sententiam dicit, gravitatem damni in quaque specie ex eo quod mutuo datur et accipitur aestimandam esse, emtorem et venditorem non secus ac permutantes et pecuniam emtoris tamquam rem incerti pretii considerat ideoque manifeste errat. Quum vero Cuiacii argumentum quoque immediata sit consequentia ex ratione et principio cuius falsitatem ad oculos demonstravimus; non minus illud quoque omnem amittit roborem et vim probandi; minime igitur nostram amplius infirmare valet sententiam.

SCHOL. Ex supra dictis facile intelligendum est, in vero contractu permutationis utrumque permutantem tanquam venditorem et emtorem spectari debere, ideoque semper tum demum beneficio 1. 2. locum esse, si laesio pro re sua quam alteri dedit, rem accipit cuius verum pretium ne quidem dimidia pars est veri pretii eius rei quam alteri dedit.


§. XXII.

Primum argumentum pro nostra thesi.

Elisis nunc dissentientium argumentis nobis licebit ea proferre, quae nostram firmant sententiam. *Primum argumentum est, quod sequitur:* Si duae sint legis cuiusdam interpretationes, altera aequitati repugnans, altera autem illi conveniens, ea praeferenda est quae aequitati congruit;

Si

Si l. 2. ita interpretamur, ut ex ea tum demum emtori succurratur si ultra alterum tantum laesus est, haec interpretatio aequitati, quam tamen imperatores in promulgatione huius legis obtinere voluerunt, repugnat; si vero l. 2. ita interpretamur ut beneficium eius etiam emtori competit, qui praeter verum rei pretium aliquid ultra dimidium eius venditori solvit, haec interpretatio aequitati convernit. Posterior ergo nostra interpretatio l. 2. preferenda est. Antecedens nemo certe inficias ibit; nobis itaque solum incumbit breviter docere, priorem interpretationem iniquam esse, nostram autem interpretationem aequitati convenire. Emtor et Venditor eandem habent conditionem, et eidem periculo perdendi expositi sunt; eundem igitur legis favorem merentur, ideoque ob aequalem laesionem utriusque concedenda est rescissio contractus. Qui priorem laudant interpretationem venditori maiorem tribuunt fraudandi licentiam quam emtori; hic enim ex eorum sententia rescissionem contractus tum demum petere potest, si ultra alterum tantum laesus est, Venditor vero iam ob laesionem ultra dimidium rescissionem contractus habet. Merito igitur prior interpretatio iniqua dicenda est. Nos vero utrique eumdem favorem concedimus et dicimus: Venditor qui ne dimidium quidem veri pretii rei suae, (aut breviter qui [P:2]—X) accepit rescindere potest contractum; et Emotor qui dedit praeter verum rei pretium aliquid ad hoc ultra dimidium eius, (aut qui dedit P † [P:2] † X), quoque rescindere potest contractum. Secundum has formulas generales semper in dato casu manifestum erit, utrumque et Venditorem et Emotorem eadem aequitate gaudere, et aequalem laesionem in utroque Emto. Vensionem rescindere



scindere. His igitur recte perspectis, quilibet videt nostram interpretationem d. l. 2. praferendam esse priori. Quod vel exinde patet, quod numquam praesumendum sit, LL. uni contrahentium maiorem laedendi licentiam concedere quam alteri.

§. XXIII.

Alterum argumentum.

Concedunt nobis Dissidentes aequalitatem et proportionem in computanda hac laesione inter emtorem et venditorem esse debere. Nunc vero non plures dantur proportiones quam arithmeticæ et geometricæ. Ad Geometricam omnes fere provocant DD. inter quos sunt Ant. Faber, * et ill. Cramer, ** eamque in computanda hac laesione applicari volunt. Sed videamus eorum computationem. Dicunt nimirum:

Minus Pretium: Valor = Valor: Pretium Maius
e. g. $4:10 = 10:21$.

Qualis vero adeat proportio? Non Geometrica, haec enim esset:

$4:10 = 10:25$, et servata hac proportione nec iis emtoribus succurri deberet, qui pro re X. valente XXIV. dedissent; Dato enim in casu terminus A Quo inciperet laesio ultra dimidium in emtore esset XXV. Sed DD. hunc non servant terminum et emtori XXI. laeso iam concedunt rescissionem Em̄t. vend. Sic etiam in aliis omnibus casibus faciunt, et sole meridiana clarus est, numquam eos verum terminum A Quo in emtore laeso observare, et numquam

* Dec. 8. Error. 7.

** In opuscul. Tom. 3. Disqu. 22.

quam proportionem Geometricam vere adesse secundum communem DD. computationem. Non etiam adest Proportio Arithmetica; esset enim all. in exemplo.

$4 - 10 = 10 - 16$; aut generaliter $[P : 2] - X, P = P, 2P - [P : 2] \frac{1}{2} X$ quum communis DD. computatio sit $[P : 2] - X, P = P, 2P \frac{1}{2} X$. Ex his igitur patet, nullam vere proportionem adesse in communi DD. computatione laesione ultra dimidium, ideoque eam falsam esse.

§. XXIV.

Continuatio.

Quum tamen reiecerimus aliorum computationem, doceamus nunc cur arithmeticam proportionem hic geometricae praferamus. Si Geometricam adhibemus, Venditori plus licentiae indulgemus quam emtori ita ut hunc ultra alterum tantum, emtor contra venditorem modo in dimidiā veri pretii laedere possit impune. Nimia exinde oritur inaequalitas inter emtorem et venditorem, haec autem in contratu ubi uterque contrahentium idem periculum subit et eundem legis favorem meretur, iustitiae et aequitati repugnat. Porro Geometrica proportio recte applicatur in iustitia distributiva ubi actionis moralitas consideratur et pro gradu moralitatis actionis premia et poenae augentur et diminuuntur; minus recte autem in iustitia commutativa, in qua quidem nunc versamur et ubi omnia ex aequo et bono commutanda sunt. Arithmetica contra Proportio in iustitia commutativa recepta est, et praeterea si eam in computanda hac laesione ultra dimidium adhibemus venditor et emtor aequalem ha-

D

bent



uent favorem, et utrius eadem damni gravitas, seu idem rei suae defectus rescissionem concedit. His igitur consideratis merito et ut nobis videtur satis probavimus Arithmeticam proportionem in computanda laesione ultra dimidium adhibendam et nostram computationem legibus ipsis convenientem esse. Haec itaque sufficient et disquisitioni nostrae imponant Finem.

COROLLARIA.

- 1.) Ius Naturae non omnimode ignorat successionem ab intestato.
- 2.) Ius naturae et philosophia de iure sunt synonyma.
- 3.) Ius Vitae et necis non ex pacto sed ex sola iuris expletione oritur.
- 4.) Distinctio pactorum in contractus et pacta vestita hodie, abrogata verborum solemnitate nullum usum habet.
- 5.) Donatio M. C. distinguenda est in conventionalem et realem; si conventionalis donatarius morte donatoris secura rem donaram propria auctoritate in τῷ suum recipit, spolium committit.
- 6.) Depositum, quod Doctores irregulare vocant, eo momento quo depositarius re deposita uititur in alium contractum vel commodi vel precarii vel mutui transit.

VIRO

NOBILISSIMO DOCTISSIMO

DISSERTATIONIS AVCTORI

IOANNIFRIDERICO KVBSCH

VRATISLAVIENSIS

S. D. P.

P R A E S E S.

Id, cuius ego testis sum, diligentiae nimirum singularis, qua in ad-
discenda rerum divinarum atque humanarum notitia; eiusque ad
componendam iusti atque iniusti scientiam accommodatione com-
militonibus nostris exemplo fuisti, dissertatio de interpretatione
et extensione L. 2. C. de refc. vendit. a TE elaborata satis demon-
strat. Hunc quoque in finem dissertationem, quam mihi elabora-
tam exhibuisti, ut TVAE sit eruditio[n]is testimonium, T[HE]SI immuta-
tam reddidi. Hoc enim facto satis LECTORI erit clarum, TE non
in verba magistrorum iurare. Non negamus quidem magistros ple-
rumque vera in medium protulisse; sed homines fuere, qui errori-
bus non raro quoque ducuntur, in quos et nos rapimur, si tantum
in horum iuramus verba. Clarum porro erit, a TE dicta non esse
talia, quae proprium suggestit ingenium, cum enim magna pars
hominum multum ingenium habeat ad fingendum, tutius quoque

D 2

sit



fit celeberrimorum virorum sequi placita, quam ingenio suo fide-
re: sed TE ea incedere via, qua scopolos, ad quos offenderunt alii,
praetervehimur tutissimi et qua ars cogitandi est naturae imago. U-
nicum tamen addo ad sententiam a TE probatam confirmandam argu-
mentum. Evolvamus notionem de laesione ultra dimidium eo or-
dine quem Logica praescribit. Reducatur res ad genus, et posthaec
evolvantur inferiora, et quae reliqua. Dimidium est pars in relatio-
ne ad totum considerata. Totum ad quod dato in casu pars refer-
ri potest, aut est verum pretium aut id quod solutum. Quare
quum, pretium quoties sit minus, dimidium ad verum pretium re-
ferat L. 2. C. sequitur, pretium quoque, quoties sit maius, non ad id
quod solutum est, sed ad verum rei pretium esse referendum. En!
TVAM de laesione ultra dimidium notionem. Addo votum ut D E-
VS TE in posterum salvum servet, atque omnia, quae fuscipis, ex
animi sententia succedere iubeat. Vale, et me ama, qui ad quod-
libet officiorum genus futurus sum paratissimus.


Viadrinae. Mensē Maii.

MDCCCLXXV.

NOBI-

NOBILISSIMO
 ATQVE
 ORNATISSIMO
DOMINO RESPONDENTI
 S. P. D.
SAMVEL THEOPHILVS FRANZ
 VRATISLAV.
 OPPONENS ORDINARIUS.

Ea est hominum conditio, ut rei, cuius vim et praestantiam semel intelligent, semper inhaerere, eamque non facile deserere soleant. Nec sane miror. Sicuti enim *ignoti*, ut aiunt, nulla est *cupido* ita etiam iis, qui rei cuiusdam indolem praecepue perspiciunt, omnes ipsius pulchras species obvenient, quae ceteros, quos forte haec res secum ferat, naevos, facili negotio obscurare possunt. Huic accedit adhuc alia quaedam nostrae mentis ratio, quae non aridos solum labores, sterilesque nobis, si in illis per aliquod tempus simus versati, commendare, verum etiam mirabile dictu, eos ipsos denique gratos suavesque reddere valet. Si unquam de his, quae nunc dixi, dubitassem, omne sane dubium mihi evanesceret, si TE, TVORVMQVE studiorum exemplum mihi proponam. A primis enim amicitiae no-



stræ incunabulis, litterarum bonarum fervore flagasti, hicque se-
se cum amicitia nostra in diem auxit, adeo, ut nihil utilius mihi
esse ducam, quam si exemplum **TVVM** semper ante oculos haber-
em, quod optumo cum fructu possim imitari. Hodie eorum
quae prætereundo tantum in **TE** laudavi, singulare diligentiae at-
que eruditio*nis* **TVAE** specimen præbes, dum in atrium prodire
constitutas, atque ostendere, qualis ille sit, cui Musæ ad latus
stant? Victor e prelio egrediaris palmamque victoriae **TVAE**
præparatam accipias et ea fruaris voluptate quæ talem honorem
sequitur. Sis semper faustus felixque et præmium diligentiae
TVAE maxima cum fiducia exspectes. Nostram vero denique a-
micitiam, qua fuimus huc usque coniuncti, ut et in posterum
continues, abs **TE** vehementer peto. Vale etiam
atque etiam.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO
 ATQVE
 DOCTISSIMO
DISSERTATIONIS AVCTORI
 AMICORVM DILECTISSIMO
 S. P. D.
 OPPONENS ORDINARIVS
FRIDER. THEOPH. WILH. SCHVLTES
 VRATISLAV.

Nulli sane mihi omnium cognitioni tantae difficultatis quam legum earumque applicationis scientiae inesse, eiusque in addiscendis perserutandisque principiis, per dies noctesque tanta diligentia, industriaque eximia opus esse videtur. Sed quantum praestantiae atque splendoris adaequata talis iuris scientia, ei, qui illam sibi tantis laboribus, vigilisque comparavit, tribuat, hodie omnibus palam per dissertationem **TVA** eleganter doctissimeque scriptam, eiusque defensionem ante oculos exemplum posuisti. Quid igitur mirum, quod hodie ordinarii opposentis suscipiendo partes facultate mihi concessa, **Tuae** erga me benevolentiae, amicitiaeque testimonio gloriar? Sit **TVA** illa erga me amicitia, qua numquam benevolentia **Tua** me indignum censuit et constans, et firma et sempiterna; ac denique quum iam longe temporis parentum, civium, ipsiusque patriae amore decoratus, malitiae vindex, innocentiaeque solatum fueris, tunc adhuc ut neutiquam iuvenilis nostrae aetatis immemor, amicitia **TVA** dignum censere me velis, quam vehementer abs **TE** peto.

Vale.

RESPON.





R E S P O N D E N T I

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

S. P. D.

ERNESTVS CAROLVS WIELAND

VRATISLAV.

OPPONENS ORDINARIUS.

Sic iuvat ad fulgens Astraeaē tendere sacrum;
 Sic Phoebo et Musis spargere thura iuvat,
 Cerea dum fautrix flectit praecordia virtus,
 Et mentem veri dum bonus ardor habet!
 Sic tandem assiduus iusti rigidusque fatelles
 Consequitur studio praemia digna suo!
 Sic TVA iam dulces, o CANDIDE AMICE! perenni
 Pierides lauro tempora docta beant!
 TE grata in patria quae TEQVE, TVAMQVE tenellam
 Aetatem genuit, prospera cuncta manent!
 Praesidium miseris, Legum, sis, OPTIME! custos
 Nostraque perpetuus pectora iungat amor.



ULB Halle
004 393 171

3



f TA → d
nur f + d sind verknüpft

Farbkarte #13



B/G.
Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

DISSE^{TT}TAT^O ACADEMICA

DE

INTERPRETATIONE ET EX- TENSIONE

L. 2. C. DE RESCIND. VENDIT.

QVAM

PRAESIDE

IOACHIMO GEORGIO DARIES, D.

POTENTISS. BORVSS. REGIS CONSILIARIO INTIMO, ACADEMIAE VIA-
DRINAE DIRECTORE, FACULTATIS IVRIDICAE ORDINARIO, SOCIE-
TATIS SCIENTIARVM ET ARTIVM, QVAE IN VIADRINA
FLORET, PRAESIDE,
ETC. ETC.

IN AVDITORIO IVRIDICO

D. MAII MDCCCLXXV.

PVLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES FRIDERICVS KVBSCH

VRATISLAVIENSIS.



TRAJECTI AD VIADRVM,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI.

